




LACRUMÆ ARDENTISSIMÆ
Fusæ
Ob Funus
Immaturum & præposterum
Ornatißimi ac Doctißimi Juvenis
HENRICI SCHWEDERI
Colbergensis Pomerani, Illustris Pædagogij
Stetinensis Studiosi,
Viri
Honestißimi omniumq; virtutum luce ac splendore eminentißimi
DN. GEORGII SCHWEDERI,
Civis & Mercatoris apud Colbergenses
& primarij & industrij
Filij dilectissimi,
Extincti 19. d. Augusti, sepulti verò 21. Ejusdem
ANNO
Epochæ Christianæ
M DC XXXVII.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.


Ngenij spes magna, decus juvenile studentum,
SWEDERE heu! moriens occidis ante diem.
Spes melior fuerat de te mihi: namq; docebas
Hactenus ingenua dexteritate Meos.
Exemplar pietatis eras virtutis imago,
Prælucens teneris mentibus arte, fide.
Sed cadis heu! medio in cursu: tàm lubrica spes est,
In nullo quæ stat certa tenaxq; loco.
Hæc vitæ humanæ ratio est, hâc conditione
Nascitur, ut tanquam flos moriatur HOMO.
Ergo jam lachrymas suspendite quæso parentes
Non totus, studijs qui est operatus, obit.
Vivit enim restans etiam post funera virtus,
Et vivet dignâ laude beatus homo.
Tempus erit quando nigris revocatus ab umbris
Complexus vestros ipse tenebit ovans:
Liber ab exitiô quovis à crimine liber
Indutus cœli candidiore stolâ.

D. Daniel Cramerus, hospes defuncti.

Spes tu quas nobis, SCHWEDERE, huc usq; parasti!
Quàm nihil ad vulgi es svetus habere modum!
Ingenium acre tibi Numen concesserat: Ipse
Ingenium augebas sedulitate, fide.
Indole cum docili certabant cura laborq;
Posse & velle dabant pectore vota probè.
Ast eheu juvenile decus pulchelleq; nostri
Gymnasij flos cur concidis ante diem?
Spes nostras tumulô tantas vis condere? Tanta
Sperantes fallis fallere non solitus?
Sed quid agas, teneo: Cura est Academia Cœli:
Hanc petis, ingeniô hæc dignaq; sola tuô est.

Non

Non eqvidem invideo: grator magis atq; cohortor:
Quæ cupis, in cœlis disce, docente DEO.

Ex piô erga Discipulum suum opt. affectu deprop.
M. Martinus Leuschner Illust.
Pædag. Rector.

HEu, *Schvvedere*, jaces, Spectatô crete Parente!
Heu, digne Egregiô Nate Parente, jaces!
Jure queror, doleoq; tuum per funera casum:
Mores namq; tuos ingeniumq; fleo.
Summa tibi pietas cœlo gratissima, summa
Integritas vitæ, sedulitasq; fuit.
Linguâ in utraq; stylum, formaq; in utraq; polibas,
Materies à me publica quando data est.
Privatimq; mei fueras pars optima cœtûs,
Noscere qui *Juris* prima elementa studet.
Hîc mihi lectori dederas cupidissimus aures:
In συζητήσει gnavus & acer eras.
Olim (non dubium) Patrui vestigia Clari
Pressisses, si non invida fata forent.
Sed Patruô nunc es perfectior atq; Magistris:
In superâ CHRISTUS te docet ipse scholâ.
Grator Doctorem tibi tantum, ac tale Lyceum.
I præ. Te sequimur quisq; vocante DEO.

Sinceri amor. & suprimi honor. caus. f.
M. Heinr. Kielmannus, Gr. Ling. & Poës Prof. &
ConR. Ducal. Pædag. Stetin.

QVum Te Discupulum nostrum, Svedere, *Lycéum*
Fovit, de Te spes hac mihi capta fuit:
Te fore perfectum brevioris temporis usu;
In studijs ardor sontica causa fuit.

Spem confirmavit conceptam Illustre Lycéum
Qvòd peteres, in qvô scibile qvodq; patet.
Spes mihi succrevit, magni qvòd tecta Crameri
Incoleres discens, incoleresq; docens.
Jam perfectus abis, petis & cœleste Lycéum,
In qvô doctus uti fulgida stella micas.

M. Mart: Bambamius P. L. &
Sch. Sed. Sen. ConR.

AD PIE DEFUNCTUM
Commilitonem.

CUlmina Virtutis studiô, SCHVVEDERE parabas
Scandere pervigili, cum pietate sacrâ:
Cœlica sed Divûm placitô cepisse brabéa
Non dubitamus: Honor te manet usq; poli.
Effugis è vivis, qvos Mars divexat iniqvus,
Teq; citâ fugiunt fata maligna nece.
Multorum, fateor, lachrymas tua fata merentur:
Ast ego de lætô gratulor hospitiô.

Joachimus Schawkirch Neob. Megapol.

P*ax finis belli est*: Sic scripta Politica dicunt:
Ergò & mors homini *Pacis* ad instar erit.
Hæc etenim vitam mortalem finit & aufert
Qvæ nil, *bella* nisi continuata diu.
Qvòd si igitur melior *bellô Pax* alma cruentô,
Qvis mortem doleat, qvæso, SVEDERE tuam?
Qvâ tibi certanti cum mundô & carne malignâ,
Post varias pugnas, jam modò parta qvies.

Ultimi honoris e. app.
Casparus Marchius P. P.

En

En HENRICE petis Pacem SVEDERE, seqvendo
Lehmannum? linqvens noxium in orbe gregem.
Cautior es nobis, Arcem qvi scandis Olympi,
Qvâ poteris multis cautior esse malis.
Interea ignari, qvæ instent hinc Fata misellis,
Viventes dubiô frangimur usq; metu.

Condolent. causâ hoc appon.

Christianus VVegenerus Neogard. Pom.

Augusti decimâ nonâ qui *luce* SVEDERUS
eXIIt è VIVIs, VIsIt In arCe DeVM.
Visit in arce Deum. Miseræ nam tempora vitæ
finijt in pravô, ceu decet, orbe, pium.
Propterea gratis illi Regnator olympi
cœlestis vitæ gaudia vera dedit.
Molliter in terris nunc, chare SVEDERE, *quiesce,*
longævâ vitâ qui bene dignus eras.
Dignus eras vitâ. Nam fervidiore colebas
curâ Musarum, Docte SVEDERE, domus.
Dignus eras vitâ. Nam commoda multa dedisses
humanæ vitæ sedulitate tuâ.

Sic inopinatum commilitonis sui abitum lugebat
Samuel Janichius Frideb. Neo-March.

DEFUNCTI PROSOPOPOEIA.

MUNDE VALE; qvamvis valè dicere lingva recuset,
Attamen hinc aliò lætor abire, VALE.
MUNDE VALE; qvamvis me te vidisse juvaret,
Attamen hinc JESUS me vocat, ergo VALE.
MUNDE VALE; qvamvis mihi te jam linqvere durum,
Attamen hinc capiunt me mage læta, VALE.

MUNDE VALE; qvamvis curæ cordiq; Parentes,
Attamen hinc animâ lætor abire, VALE.
MUNDE VALE; qvamvis juvenem amplectaris amandum,
Attamen hinc lætor, MUNDE VALERE, VALE.

Condolens talia scribebat
Erdmannus Rudolphus Stet. Pom.

Ultima Defuncti Verba.

JMmundum mundum linqvo, mundanaq; sperno,
Et mundô mundum pectore qværo DEUM.
Jlle mihi æternâ donabit in arce coronam
Justitiæ æternæ, qvæ datur, ecce! pijs.
Inspiciens etenim mundum, qvod gloria mundi
Vana sit, experior; terra ero, terra fui.
Idcircò lætus jam læta palatia Cæli
Visito, cum mea mors nil nisi vita siet.
Jam jam terra vale, Patria est mihi magnus Olympus,
Magne DEUS diram dilue, qvæso, luem.

L. Mq;
In ultimum Dn. Cognati sui honorem app.
Franciscus Moldenhawer.

QUis nostrûm, [vitæ quamvis florentis in ævo est,]
Ad noctem num sit vita futura, sciat?
Tam brevis atq; fugax humanæ est linea vitæ,
Ut jaceat lethô, qui modò vivus erat.
Sed benè qui moritur, tecum est HEINRICE beatus:
Cum CHRISTO in cœlis namq; beatus ovas.

Amicitiæ & condolentiæ ergò, faciebat
Paulus Rangius
Stargard. Pom.

Nescio,

NEscio, quid patriæ portendant tristia fata?
Nescio, quid sibi Mars, morsq; famesq; velint?
Fallor? an exitium nobis mala multa minantur,
Et spes amissæ nulla salutis adest?
Infestat miles nostras ferus undiq; terras,
Nec posthac ulli tuta frequensq; via est.
Formidant omnes furiosi militis ensem,
Et nostras ignis funditus haurit opes.
Exilioq; solum vertunt, ac arva relinquunt
Agricolæ, atq; hostis cuncta licere putat.
O infelices! non unô urgemur ab hoste;
Hinc urget nos Mors, hinc malesuada fames.
Occidit multos res arcta & turpis egestas;
Sed plures perimunt tela cruenta necis
Non tantùm fessos annis, canamq; senectam
Interimit, verùm & ver juvenile petit.
Occidit & noster Schvvederus, magna Parentum
Spes, & præproperâ morte peremptus obit.
O præceps fatum! ut frustraris vota Parentum;
Artibus excultum dum rapis ante diem.
Sed non fas nimiùm sævo indulgere dolori:
Mortem mortalis fallere nemo potest.
Cum lethum nulli detur vitare, quid obstat?
Num juvenis pereas, vel moriare senex?
Æternus Judex vitam, non ponderat annos:
Ille diu vixit, qui benè vixit, homo.
HENRICUS noster præcessit ad astra, sequemur;
Illum, cum cogent nos fera fata, sequi.
His Henrice vale, vale dilectissime Jovæ,
Qui te ex ærumnis Orbis ad astra tulit.

Ultimo honori Ornatissimi Juvenis scripsi
Casparus Devitius Pasvvalcô-Pomeranus.

Cur

Cur Tu tam subitò, tenerô SCHWEDERE sub ævô,
Heu! claudis placidâ lumina morte tua?
Cur, inquam, nostri renuis commercia cœtûs,
Nec vitâ exoptas ulteriore frui?
Verùm Te libris satis incubuisse putabis
In terris, illos ergo valere jubes.
Hactenus in doctis sudâsti ritè Lycæis,
Nunc Academiam quæris in axe sacram.
Expetis in cœlis exactam discere normam
Juris, ubi Doctor jura sacrata docet.
Hanc ergo invideo lætam minimè Tibi sortem,
Sed potius grator gaudia tanta Tibi.

Ἐπόστιχον.

HeInrICVs Largos nVnC tVrpIs DeserIt orbIs
LVCtVs, & Captat gaVDIa Læta poLI.

Pauca hæc, præmaturã Cognati sui desideratissimi
mortem deplorans, fecit
Fridericus Sellius Julinô Pom.

UT messor fruges in amœnis demetit agris,
Sic mors jam juvenes demetit atq; senes.
Non tempus certum aut certam determinat horam,
Tempore sed dubio mors inopina venit.
Ecce etenim subitò SCHWEDERUS mortuus eheu!
Plorandum sanè, quod cadit ante diem.
Heu subitos casus & ineluctabile fatum!
Quam breve vita bonum! vix orimur morimur.
Complacitum Domino est, ex hoc qui transtulit illum
Carcere sollicito ad lumina clara poli.
Mortuus hîc equidem mundo videatur: at ipse
Vivit ibi, & fruitur pace & amore DEI.

Condolentiæ ergò paucula hæc adjecit
Nicolaus Wernerus Cösl. Pom.

FINIS.

